



Prot. N. 00016/2024-1452/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Stephano Ioanne Raica, Episcopo Birminghamiensi in Alabama, in octingentesimo inventi anniversario Praesaepis, quod anno MCCXXIII Sanctus Franciscus Assisiensis in Graecio fecit primus, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XXIV Decembris MMXXIII usque ad diem II Februarii MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si ipsam Cathedralem ecclesiam vel quodlibet dioecesanum templum ab Exc.mo Episcopo iam determinatum, turmatim vel singillatim in forma peregrinationis inviserint et iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Praesaepi ibi parato per congruum temporis spatium Deo humiles pro pace effuderint preces, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph et Sancti Francisci Assisiensis.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut dioecesanus paenitentarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XIX mensis Decembris, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

*Maurus Card. Siccardi
Paenitentiarum Praesens*

Christophorus Nyklic